

EPISTULA LEONINA

CLXVI

HEBDOMADALE
PERIODICUM LATINĒ SCRIPTUM,
QUOD ĒDITUR
E DOMO EDITORIĀ INTERRETIALI
CUI NOMEN EST
LEO LATINUS



<http://www.leolatinus.de/>

N.B.! EPISTULAS LEONINAS ACCIPIS **GRATIS** ET **SINE ULLĀ OBLIGATIONE**. NAM LEO LATINUS PUTAT HOMINIBUS LATINAM LINGUAM DISCENTIBUS AUT DOCENTIBUS CORDI ESSE VERBA LATINA. **SI TAMEN TALES EPISTULAS ACCIPERE NON VIS, RESCRIBE HOC NOBIS: TUM STATIM NOMEN TUUM EX INDICE ACCEPTORUM TOLLEMUS.**

HŌC TEMPORE DUO FERĒ MILIA HOMINUM LATINĒ DOCTORUM ACCIPIUNT EPISTULAS LEONINAS ELECTRONICĒ MISSAS. EPISTULAS LEONINAS **I-CLXVI** INVENIES IN INTERRETI SUB HAC INSCRIPTIONE, QUAE SEQUITUR:

<http://ephemeris.alcuinus.net/leonina/>

MAXIMĒ ID CURAMUS, UT COPIAM VERBORUM LATINORUM CONVENIENTER AUGEAMUS ET TEXTŪS MODERNOS CUIUSVIS ARGUMENTI QUAM OPTIMĒ IN LATINUM SERMONEM CONVERTAMUS.

ROGATUR, UT MANUSCRIPTA MITTANTUR VIĀ ELECTRONICĀ. MENDA SIVE GRAMMATICA SIVE METRICA, QUOAD FIERI POTEST, TACITĒ TOLLUNTUR.

EN HABES EPISTULAM LEONINAM
CENTESIMAM SEXAGESIMAM SEXTAM (166) !

ARGUMENTA

CURIOS SIMULANT ET BACCHANALIA VIVUNT.....	03
IOHANNES BURCKHARDUS: Liber notarum, a.1501.....	04
GILES MILTON: DE CONVIVIO CASTANEARUM.....	05-10
BEATA LAKOTTA: MULIERES NON SEMPER TACUISSE IN ECCLESIA..	11-15
THEODORUS STORM: <i>Der Schimmelreiter</i> (versio Latina).....	16-22
ECHUS VOCES (<i>Victorius Ciarrocchi: Il Gattopardo</i>).....	23-24

LEO LATINUS OMNIBUS HOMINIBUS LATINITATEM AMANTIBUS SAL.PL.DIC.

Cara Lectrix, Care Lector,

nunc tibi offero Epistulam Leoninam centesimam sexagesimam sextam (166). De hac Epistulâ tibi missâ maximê gaudeo, et bene spero tibi quoque eandem gaudio fore!

Hac in Epistulâ Leoninâ agitur de bacchanali quodam papali deque fabulâ novellâ Theodori Storm excellentissimâ a Leone Latino in Latinum conversâ.

Nunc autem, cara Lectrix, care Lector, denuo cena tibi apparata est opipara: tolle lege frueri!

Medullitus Te salutat
Nicolaus Groß
Sodalis Academiae Latinitati Fovendae



<http://www.leolatinus.com/>

LEO LATINUS

Senden ex oppidulo Bavariae Suebicae,

Die Dominicâ, 24. m.Iunii., a.2018



ALEXANDER VI. PAPA (1431-1503)

CURIOS SIMULANT ET BACCHANALIA VIVUNT

IUVENALIS, Saturae II, 1-10: Ultra Sauromatas fugere hinc libet et glaciale/ Oceanum,
quotiens aliquid de moribus audent/ qui **Curios simulant et Bacchanalia uiuunt.**/ Indocti
primum, quamquam plena omnia gypso/ Chrysippi inuenias; nam perfectissimus horum,/ si
quis Aristotelen similem uel Pittacon emit/ et iubet archetypos pluteum seruare Cleanthas./
frontis nulla fides; quis enim non uicus abundat/ tristibus obscenis? Castigas turpia, cum sis/
inter Socraticos notissima fossa cinaedos?

DE CONVIVIO CASTANEARUM



IOHANNIS BURCKARDI LIBER NOTARUM ab anno 1483 usque ad annum 1506. A cura di Enrico Celani. vol.II, p.303, in: *Rerum Italicarum Scriptores: Raccolta degli storici Italiani, dal cinquecento al millecinquecento*. Ordinata da L.A. Muratori, T.32.

»Dominica, ultimo mensis Octobris, vigilia omnium Sanctorum...

In sero fecerunt cenam cum duce Valentiense in camera sua, in palatio Apostolico, quinquaginta meretrices honestae, *cortegiane* nuncupatae, quae post cenam c(h)oreaverunt cum servitoribus et aliis ibidem existentibus, primo in vestibus suis, deinde nudae. Post cenam posita fuerunt candelabra communia mensae in candelis ardentibus per terram, et proiectae ante candelabra per terram castaneae, quas meretrices ipsae super manibus et pedibus, nudae, candelabra pertranseutes, colligebant, papa, duce et d. Lucretia sorore sua praesentibus et aspicientibus. Tandem exposita dona ultima diploides de serico, paria caligarum, bireta et alia pro illis, qui pluries dictas meretrices carnaliter agnoscerent, quae fuerunt ibidem in aula publicae carnaliter tractatae arbitrio praesentium, dona distributa victoribus«.

Mysteria historiae mundanae

CONVIVIUM CASTANEARUM



Romae paulatim facta est media nox. Hac horâ plerique sacerdotes romani orabant. In palatio autem apostolico res agebatur omnino alia: Quinquaginta meretrices aulicae participes erant bacchanalis. Scripsit *Giles Milton*, Theodiscê reddidit *Thomas Bodmer*, e theodisco in Latinum convertit *LEO LATINUS*.

Fuit dies tricesimus mensis Octobris a.1501, cuius nox fuit una ex obscaenissimis totius historiae papalis. Convivium castanearum, quale appellatur, *Papae Alexandro VI.* ab eius filio, *Cardinali Caesare Borgia*, erat praeparatum. Istac autem nocte in palatio papali dicuntur tam effusae esse in omni intemperantiâ libidines, ut postea viri docti catholici multum temporis et pecuniae consumerent demonstrare conantes illud convivium omnino non factum esse.

At sunt tales negationes bacchanalis facti dignae, quae credantur? Convivium subtilissimê descriptum est a *Iohanne Burchardo* (1450-1506), protonotario et caerimoniario Summi Pontificis. Qui fuit auctor »*Libri notarum*«, protocolli officialis caerimoniarum papalium gravissimarum, visitationibus officialibus privatisque inclusis. Unus ex conventibus in Libro notarum descriptis est convivium castanearum.

Burchardus fuit sacerdos Alsaticus, qui, quâ erat mentis subtilitate et doctrinâ, ministravit quinque summis pontificibus uni post alium. Eius »Liber notarum« est opus serio atque graviter scriptum, cui

insunt fusae descriptiones variarum caerimoniarum papalium necnon explicationes artis musicae ecclesiasticae chororumque polyphonicorum.



ECCE ALEXANDER VI. PAPA ET CAESAR ET LUCRETIA

Secundum Burchardum convivium infame factum est in palatio apostolico, ingenti aedificio plus mille conclavium. Papam Alexandrum VI. optimo fuisse animo. Cenam fuisse opulentio-rem quam in conviviis prioribus, vinum praebitum esse copiâ largiore. Necnon quinquaginta saltatrices egisse insolitâ cum peritiâ et agilitate.

Serus iam erat vesper, cum ultimi cibi comedebantur, sed nemo erat cupidus dormiendi. Ministri mensas vacuas fecerunt et quinquaginta meretrices saltatrices foras duxerunt in procoetonem, ubi vestimenta sua exuerent. Quae in oecum convivii, ubi papa adhuc largius vino se invitabat, revertentes fuerunt nudissimae.

Iohannes Burchardus tradit convivium celeriter degeneratum esse in spectaculum libidinosissimum. *»Post cenam posita fuerunt candelabra communia mensae in candelis ardentibus per terram, et proiectae ante candelabra per terram castaneae, quas meretrices*

ipsae super manibus et pedibus, nudaе, candelabra pertranseuntes, colligebant, papa, duce et d. Lucretia sorore sua praesentibus et aspicientibus«.

Vino largissimê effuso spectaculum factum est bacchanal. »*Tandem exposita dona ultima diploides de serico, paria caligarum, bireta et alia pro illis, qui pluries dictas meretrices carnaliter agnoscerent, quae fuerunt ibidem in aulâ publicae carnaliter tractatae arbitrio praesentium, dona distributa victoribus*«.

Auctores posteriores¹ hanc relationem exornantes narraverunt Papam ipsum praemia cardinalibus distribuisse et sacerdotibus, qui saepissimê semen eiaculati essent, »*nam Papa valdê admiratus esset virilitatem virique potentiam coeundi mensuravisset eius facultate eiaculandi*«.

Commentatores catholici diu contenderunt totam hanc relationem esse mente confictam. Papa autem studiosissimê defensus est a Domino **Petro de Roo** (1839-1926), Belgâ episcopo, qui de relationibus libidinum papalium tam vehementer erat indignatus, ut annos vitae suae degeret illas refutare conans: Idem in prolixo opere, quod scripsit de Papâ Alexandro VI.² »*Res factas atque indicia quaesivimus per multas terras. Neque labori neque pecuniae pepercimus indagantes, Alexander VI. quis fuisset, quarum rerum accusatus esset, et, imprimis, quae reverâ fecisset*«.

Petrus de Roo confitetur se esse stupefactum, quod Iohannes Burchardus aliis in rebus fide dignus *Libro* suo *notarum* inscripsisset fabulam tam lascivam: »*Quomodo factum est, ut ille tam improvise a solitâ sua ratione referendi decorâ delaberetur ad infimam operam librarioli sordidissimi?*« Longis investigationibus factis Peter de Roo conclusit Burchardum nullo modo spectare ad textum infamem: Inimicos Papae istam relatiunculam operi Burchardiano a posteriori fallaciter imposuisse. At bonus Petrus concessit fieri potuisse, ut

¹ Dolemus, quod Giles Milton non indicat, qui fuerint illi "auctores posteriores".

² Peter de Roo, Material for a History of Pope Alexander VI: His Relatives and His Time. 5 tomi, Desclée, De Brouwer and Co., Brugis a.1924 ([Digitalisat](#)).

Caesar Borgia ille filius Alexandri VI. indole alienâ praeditus particeps esset »spectaculi verê bestialis«.



CAESAR BORGIA (1475/6-1507)

At etiam tales defensores puritatis morum papalium, qualis fuit Petrus de Roo, negare non possunt Alexandrum VI. fuisse unum ex papis renascentiae omnium infamissimis. Nomen Borgianum, quod fuit eius gentilicium, maculatum est corruptione et moribus depravatis scandalisque innumeris.

Alexandri amata prima fuit *Vanozza de' Cattanei*, Itala mulier nobilis, quacum per longum tempus habuit rem amatoriam. Quam incohavit duobus annis postquam factus erat cardinalis Albani, oppidi prope Romam siti.

Alexander et Vanozza genuerunt quattuor filios, Iohannem, Caesarem, Lucretiam, Godefridum (*Jofré*), qui omnes pecuniâ honoribusque abundanter sunt instructi. Papa Alexander maximê dilexit Caesarem et Lucretiam, qui dicuntur etiam participes fuisse convivii castanearum.

Denique Alexandrum cum Vanozzae pertaederet, îdem se convertit ad *Iuliam Farnese* iuvenem unam ex Romae mulieribus pulcherrimis.

Quae describebatur esse »colore cutis fusco, oculis nigris, facie rotundâ, eximio animi ardore«.

Iulia connubio coniuncta erat cum *Orsino Orsini* divite viro nobili, sed Papa Alexander curavit eam in quoddam palatium ducendam, quod erat residentiae papali propinquum. Itaque facilius fiebant visitationes clandestinae.

Alexander conatus est celare rem amatoriam, quam cum Iuliâ habuit, sed mox iam Romae rumores percrebuerunt. Iulia innotuit »Scortum Papae« sive »Sponsa Christi«. Eadem peperit *Lauram* filiam, cuius pater utrum fuerit *Orsino* an *Papa*, nescimus.

Cum Papa Alexander VI. electus esset, homines rumigerabantur de corruptione, et totum tempus, quo Alexander munere functus est, abusu pecuniarum est insigne. Cum *Hieronymus Savonarola*, monachus florentinus, verbis verberaret vitam Papae vitiis plenam, Alexander dicitur magnâ voce cachinnasse.

Papa Alexander tempore muneris sui id maximê curavit, ut auctoritatem gentis Borgianae augeret, id quod eidem successit properrimê: Eius filii filiaeque connubiis coniunctae sunt cum gentibus nobilibus principalibus.

Qui denique mortuus est a.1503 aetate septuaginta duorum annorum. Ut erat mos, eius corpus mortuum lecto funebri est impositum, sed fervore mensis Augusti celeriter coepit tabescere. *Raphael Maffei* Italus theologus tradit »cadaver informe et denigratum aspectu fuisse taeterrimo. Quod vehementer intumuisse et foetorem edidisse pestilentiosum. Eius labia et nasum obtecta esse fuscâ salivâ, ôs eius latê patuisse; itaque neque assectatores neque christifideles ausos esse osculari eius pedes aut manûs, sicut mos postularet«.

Convivium autem castanearum quomodo reverâ actum sit, fortasse numquam patefiet. Certum autem est Iohannem Burchardum esse chronistam insolitâ diligentîâ praeditum necnon Papam Alexandrum filiis suis illegitimis infamissimum. Licet non certo sciamus, num Papa ipse bacchanal castanearum activê participaverit, sed extra

dubium est Alexandrum Sextum plures infantes genuisse quam omnem Papam alium.



Giles Milton, 52 annos natus, est historicus et auctor operum optimo cum successu divenditis. Eius libri conversi sunt in plus viginti linguas. In ephemeride Turicensi, c.t. „Weltwoche“, îdem Britannus septimanatim scribit de „Mysteriis historiae mundanae“. Idem Miltonus, qui appellatur „narrator historiae excellentissimus“ (*Sunday Times*) vivit Londinii et in Burgundiâ. www.gilesmilton.com Ex anglico sermone in theodiscum convertit *Thomas Bodmer*, e theodisco in Latinum *LEO LATINUS*. DIE WELTWOCHHE. Nummer 12 – 22.März 2018 – 86.Jahrgang. Zürich, p.66 sq.: „Mysterien der Weltgeschichte – Kastanienbankett“.

HISTORIA RELIGIONIS

Mulieres non semper tacuisse in ecclesiâ

Beata Lakotta refert de argumento cuiusdam libri ab Aloisio Uhl scripti.

Insidiae, homicidium, venus volgivaga: Prioribus temporibus quando viri Vaticani de potestate pugnabant, saepe pugnarum participes erant etiam fortes feminae. Novo libro refertur, eadem quantum valuerint ad patres sanctos.



Num reapse exstitit illa „Iohanna papissa“, mulier docta, quae narratur vestibus virilibus induta tiaram fallendo usurpasse? Cum Iohanna equitans subito parturiret, fraudem patefactam esse. Ideo eandem mulierem secundum ius Romanum caudae equi alligatam per urbem tractam et a populo dilapidatam esse.

Haec omnia esse fabulosa dicuntur a modernis theologis et historicis; tamen personâ papissae animi innumerabilium hominum fabulas legentium usque nunc inflammantur. Verisimile est ipsos papas credidisse hanc mulierem exstitisse, quae tam dignê decenterque se gessisse narratur, ut munus acciperet sanctissimum. Quod nescio an viris ecclesiasticis fuerit terrori, nam *Thomas Aquinas* (1225-1274) docuit mulierem propter defectum naturae, qua esset vir imperfectus, numquam posse fieri sacerdotem.

Ex omnibus libri Uhlani heroidibus "Papissa Iohanna" ficticia ea est, qua tristissimê manifestatur idea utopica mulierum in gremio ecclesiae catholicae iuribus viros aequiparantium ad effectum adduci non potuisse. Haec ecclesia mulieribus concedit partem caeli dimidiam – sed inferiorem, benignê. Tamen Dei filiabus neglectis contigit, ut vim haberent ad locum altissimum. Cuius rei documento est oblectabile studiolum, quod *Aloisius Uhl* scripsit de fatis meretricum aulicarum, filiarum, ceterarumque mulierum, quibuscum papae spiritualiter erant coniuncti.

In Uhlianâ historiâ paparum haud orthodoxâ mulieres describuntur et infames et sanctae; mysticae velut paupertatem praedicans *Clara Assisensis* aut *Birgitta Suetiana* visionibus dedita, quae non aquieverunt in aegrotorum curâ et contemplatione. Necnon mulieres potestate politicâ valentes velut *Mathilda Tuscanica*, quae a.1077, cum *Henricus IV.* Canossam iter faceret paenitentiae causâ, inter regem et Papam *Gregorium VII.* concilians Papam copiis suis tutata est; vel *Olympia Maidalchini*, Papae *Innocentii X.* affinis corrupta, quae ex a.1644 munerum Vaticanorum distributionem tam apertê sibi arrogavit, ut Romae mox grylli pingerentur (*gryllus,-i m. = orig. Karikatur, Angl. cartoon*), quibus inerat Olympia tiarâ instructa et subscriptum erat verbum "Papissa".

Aloisius Uhl concludit mulieres potentes prius in ecclesiâ nequaquam semper tacuisse. Ut exemplum afferamus: In concilio Chalcedonio a.451 facto *Pulcheria Imperatrix* Byzantina praesedit congregationi ecclesiasticae antiquitatis omnium maximae, quam ipsa iusserat fieri. Eadem autem a Papa *Leone I.* eiusque episcopis magnâ cum laude dicta est „tutatrix fidei” necnon de praestantissimis quaestionibus concilii theologicis tractandis *Pulcheria* decrevit: Num Iesus fuit homo et Deus? Eadem entitates quomodo inter se possunt coniungi?



Per multa saecula viri Vaticani vivebant magis carnaliter quam spiritualiter. Munera autem clericalia solebant emi et vendi. Multi sacerdotes convivebant cum mulieribus. Nec papae osculabantur semper rubra tapetia. Medio aevo potestas papalis erat in manibus paucarum gentium nobilium, quae inter se de potestate divitiisque pugnabant parum honorificê. Insidiae, venus volgivaga, homicidia: Mulieres a nullâ ratione agendi vel infamissimâ solebant abstinere, qua filios aut fratres possent collocare in throno papali, quem insedere ipsis non licuit.

Exempla mulierum, quae habuerunt commercia parum sancta cum variis papis, sunt *Marozia*, *Senatrix Romana*: *Sergius III.* (904 bis 911) amasio fuit huius puellae 15 annos natae. *Iohannes X.* (914 bis 928) a *Marozia* de throno depulsus est. *Iohannes XI.* (931 bis 936) fuit

filius huius mulieris – verisimile est eum genitum esse a *Sergio III. Iohannes XII. (955-964) Maroziae* fuit nepos parum castus: Qui in cubiculis papalibus celebravit bacchanalia, dum „*in actu coeundi*” mortuus est apoplexiâ cerebri.

Veneno fertur Sedes Sacra evacuata esse, ut occuparetur a *Maroziae* filio. Aetas, in qua mulier sibi arrogavit dominatum Christifidelium, ab historiographis dicta est "*pornocratia*" aut "*regimentum meretricum*".

Medii autem aevi altioris mulieres visionum vaticiniorumve peritae intrepidê vituperabant pastorum superiorum cupiditatem dominandi. Verba sapientissima ab *Hildegarde Bingensi* „tubâ Dei", qualem ipsa se appellabat, dicta ne papa quidem *Eugenius III.* sinebat praeterfluere. Qui cum piae abbatissae comprobaret auctoritatem charismaticam, a.1147 in Trevirensi ecclesiâ cathedrali lêgit scripta Hildegardiana. Sanctus Paulus quidem dixerat: "*Mulier taceat in ecclesiâ*". Tamen *Hildegardi* a Papâ benedictae licuit praedicare Divoduni, Bambergae, Herbipoli. Coloniâ Agrippinensi in urbe archiepiscopus ante ecclesiae cathedralis portam australem curavit podium construendum ad usum Hildegardis "*Prophetissae teutonicae*". Quae mulier, cuius statura victu abstemio erat insignis, viros clericos castigavit homiliâ morali: "*Vos estis humi prostrati, ecclesiam nullo modo sustentantes, sed in speluncam lubricitatis vestrae fugientes.*"

Tamen in Urbe Aeternâ aula papalis mox abundavit luxu et lautis et lasciviis antea incognitis. Renascentia erat aetas Vaticanis omnium lascivissima. Qua papae vix vacabant quaestionibus theologicis tractandis. Loco paenitentiarum iidem celebrabant receptiones, pompas, fabulas theatricas agendas – et ipsa convivia propriae familiae sollemnia.



Licet antea mulieres essent ex Sedis Vaticanae

penetralibus exclusae, *Papa Innocentius VIII.* sibi non temperavit, quin nuptias filii sui depravati cum *Maddalena* puellâ e gente Mediceorum oriundâ, a.1488 agendas celebraret in oecis suis.

Deinde Vaticanae portae patuere paparum filiabus, sororibus, nuribus, affinibus. Affinitates autem familiares erant lucrosae: Ut damnum sibi resarciretur connubii cum nebulone facti *Maddalena Medicea* a Papâ accepit galerum cardinalicium fratri suo destinatum. Qui frater nomine *Leonis X.* accepto postea cum throno papali insederet, sorori gratias egit liberales: Nam tres nepotes fecit cardinales, inter quos erat *Innocentius Maddalenaë* filius 22 annos natus. Qui iuvenis dignitarius syphilidem sibi contraxit quattuorque genuit nothos.

Licet cardinalis filiis fortunatus nequaquam rarus fuerit vir Vaticanus. Sed plerique viri cum thronum papae insederunt, abstinebant, ne cum muliere conviverent, excepto *Roderico Borgia*, qui etiam papa *Alexander VI.* factus noluit vivere caelebs. *Giulia Farnese* eius pulchra amasia (quae scilicet esset coniunx alius viri) sedem Vaticanam frequentabat – ut etiam etiam nothi circiter decem, a variis concubinis nati, quibus *Alexander* semper erat pater diligens. Audientiae tempore quidam vir delegatus Imperatoris miratus est de parvulâ puellâ flavâ, quae sedebat ad pedes Patris Sancti eundemque appellabat „*Attam*”.

Alexander filiam suam *Lucretiam* coluit tamquam deam. Cum celebraretur una ex ternis filiae nuptiis luxuriosis, *Alexander* non consedit secundum ordinem sedendi inter duos cardinales, sed inter filiam et scortum suum aulicum. Deinde castrati papales more angelorum cantaverunt. Mulieres ballaverunt, viri eorundem in mammillaria sparserunt dulciola – quod fecerunt aperte, sine ullâ verecundiâ. Postea *Alexander* *Lucretiam* fecit suam vicariam, eique iter facturus tradidit negotia administranda, ut *Lucretiae* liceret ad tablinum patris aperire epistulas Patri Sancto missas. Cum tantopere negotiis papalibus se intermiscuisset, *Lucretia* post mortem a.1519 factam dicta est infamis sagana atque monstrum libidinosissimum.



(*VULG.Ev.Luc.1,38*) multis sacerdotibus videri descriptum esse modum vivendi omnibus mulieribus bibliâ praeceptum.

De mulieribus ordinandis *Papa Iohannes Paulus II.* strictê recusaverat, ne disputaret cum Christianis – necnon a viro Congregationis Fidei tum praeposito fortiter adiutus est: qui fuit *Cardinalis Iosephus Ratzinger.*

Ecce liber supra tractatus: *Alois Uhl: Die Päpste und die Frauen.* Winkler Verlag/Patmos. m.Aug. a.2005, 250pp., pretium: 19,90 euronos. – Hanc relationem d. 8. m.Aug. a.2005 in periodico „Der Spiegel" inventam e Theodisco sermone in Latinum convertit Nicolaus Groß praepceptor Sedis interretialis domûsque editoriae, quae appellatur LEO LATINUS: <http://www.leolatinus.com/>

Scipsit Nicolaus Gross

Theodori STORM fabula novella, q.e. „*Der Schimmelreiter*“, a.1888
Theodiscê conscripta, a.2018 a Nicolao GROSS in Latinum conversa.

DE EQUITE LEUCIPPO

DER SCHIMMELREITER



»Das hohe und innerlich vielerfahrene Künstlertum Storms hat nichts zu schaffen mit Simpelei und Winkeldumpfigkeit, nichts mit dem, was man wohl eine Zeitlang ‚Heimatkunst‘ nannte... Er ist ein Meister, er bleibt«. **THOMAS MANN**

i.e. Latinê: Ars Theodori Storm magna multimodisque perita nequaquam spectat ad animi stupidam simplicitatem et proprii anguli terrarum laudem Abderitanam, nequaquam ad illam rationem scribendi, quae nescio an aliquamdiu appellata sit ‘ars patriae’... Storm est verus artifex: qui manebit.

Theodorus Storm

DE EQUITE LEUCIPPO

Fabula novella (a.1888)

De rebus, quas referre mihi in animo est, plus dimidio saeculo ante certior factus sum in domo abaviae meae, vetustae uxoris senatoris *Feddersen*, cum eiusdem mulieris arcisellio assidens legerem fasciculum alicuius periodici scabrâ chartâ caeruleâ vestitum; non iam recordor, utrum fuerit fasciculus »Fructuum legendi Lipsiensium« an »Pappii Hammaburgensium«.

Adhuc laeto quodam horrore venerabundus sentio lenem manum abaviae plus octogenariae interdum capillos pronepotis blandê perlabentem. Illa ipsa illudque tempus iam pridem sunt sepulta; necnon frustra interim investigavi illa folia periodica ideoque eo minus possum illis rebus fidem meam obligare et, si quis easdem factas esse negare velit, eidem resistere; nihil autem affirmare possum nisi me illas res quamvis interim nullâ causâ adventiciâ in memoriam revocatas inde ex illo tempore numquam oblîtum esse.

‘Factum est tertio decennio nostri saeculi, post aliquam meridiem mensis Octobris’ - his verbis coepisse narratorem illius periodici recordor - ‘ut magnâ in tempestate equitarem praeter aggerem aliquem Frisiae septentrionalis. A sinistris iam ex plus horâ mihi erat incultus et omnibus pecudibus orbatus campus uliginosus, a dextris, idque propinquitate iniucundissimâ, aestuarium Maris Germanici; dicebantur quidem ex aggere videri posse insula inundabilis ceteraeque insulae; at ego nihil videbam nisi undas fulvas iterum iterumque tamquam clamore iracundo sublato adversum aggerem verberantes et interdum me equumque sordidâ spumâ inspergentes; post easdem vastum erat crepusculum, quo non discernerem caelum et terram; nam luna quoque dimidia nunc in excelso constituta plerumque nubibus volitantibus obscurabatur. Aer erat gelidissimus; manibus rigidis vix habenas tenêre poteram nec vitio vertebam cornicibus gaviisque, quod continuo crocitanes et cucurrientes curabant, ut tempestate agerentur in terram. Cum obtenebresceret, non iam poteram certê agnoscere

ungulas equi mei; haud quemquam hominum conveneram, nihil audiebam nisi clamorem avium, quae me aut equam fidelem longis âlis paene stringebant, et ventum et aquam furentes. Haud nego me interdum optavisse, ut essem in mansione securâ.

Ista tempestas nunc tertio iam die durabat, et ego iam plus licito siveram retineri a viro quodam mihi cognato perquam caro in villâ, quam is possidebat in aliquo districtuum septentrionaliorum. Hôc autem die non iam diutius remanere potui; nam negotia mihi erant agenda in oppido, quod a me remotum erat itinere versus meridiem faciendo horarum nonnullarum, et quamvis consobrinus meus eiusque uxor cara iterum iterumque studerent mihi persuadere, ut apud se remanerem, quamvis adhuc gustanda essent pulchra mâla illa delicatissima, quorum arbores ab illis ipsis erant cultae, post meridiem equo profectus eram. Consobrinus autem ad ianuam domûs stans mihi abequitanti acclamaverat: »Exspecta, usque dum venias ad mare; certê ad nos revertêris; cubiculum tibi reservabimus!«

Reverâ autem momento temporis, quo nigrâ nubium straturâ tenebrae mihi factae sunt obscurissimae simulque ventis ululantibus unâ cum equâ meâ de aggere urgebar, illud mihi succurrit: »Noli esse stultus! Revertere ad amicos tuos et reside in nido calido commodoque«. At deinde in mentem mihi vênit reditum esse etiam longiorem quam iter destinatum faciendum; itaque auribus collari amiculi mei obtectis perrexi tolutim equitare.

At nunc in aggere aliquid obviam mihi vênit; nihil audivi; sed etiam etiamque clarius, lunâ parcum lumen suum demittente, mihi visus sum agnoscere figuram obscuram, et mox illam appropinquantem vidi equo insidentem, gracili equo albo, qui erat altis pedibus; amiculum obscurum circa umeros illius huc illuc agebatur, et equo praetervolante e vultu pallido me aspexerunt duo oculi ardentes.

Quisnam fuit iste? Quidnam iste voluit? – Nunc autem subiit mihi me nullum audivisse unguularum sonitum, nullum equi anhelitum; tamen et equum et equitem proximê me praetervectos esse!

Haec cogitans equitare perrexi, sed non multum temporis fuit, quo cogitarem, iam illud a tergo me praetervectum est; visus mihi sum me stringi amiculo volanti, et phantasma, sicut iam antea, me

praetercurrerat sine ullo sonitu. Deinde illud vidi a me remotum remotiusque; tum illius umbra mihi visa est subito in latere aggeris interno degredi.

Secutus sum aliquatenus cunctabundus. Illum locum assecutus vidi proximê ad aggerem in terrâ inaggeratâ infra aquam micantem magnae fracturae, quales, dum procella saevit, fluctibus terram infringentibus effectae postea remanere solent lacunae parvae, sed altae.

Aqua autem, quamvis aggere protecta, apparenter commovebatur; quae ab equite non potuerat turbari; nihil iam eius vidi. At aliud vidi, quo nunc delectatus sum: ante me, e terrâ infra inaggeratâ, multa lumina dispersa sursum ad me nitebant ex illis domibus frisianis in longitudinem porrectis venientia, quae singillatim in navalibus erant sitae; proximê ante me in aggeris interni dimidiâ altitudine sita erat magna domus eiusdem generis; in latere meridionali, a dextris ianuae domesticae, vidi omnes fenestras esse illuminatas; post illas vidi homines, quos adversus procellam mihi visus sum audire. Equa mea iam suâ sponte degressus erat per viam ad aggerem sitam, quae me ante ianuam domûs duxit. Vidi quoque eandem esse cauponam; nam ante fenestras animadverti trabes binis fulcris positas magnis anulis ferreis instructas, quibus pecora equique alligabantur, qui hîc loco solebant sistere.

Equum alicui trabi adiunxi servoque mandavi, qui in me incidit andronem ingressum: Quem rogavi »Fitne hîc conventus?«, cum nunc clarê audirem voces hominum et stridores hyalorum ex ianuâ conclavis venientes.

Servus autem sermone Germaniae inferioris usus – postea accepi hunc sermonem praeter frisianum ibi iam ex plus centum annis adhiberi - respondit: »Videtur talis res fieri. Comes atque magistratûs et aliqui alii, ad quos res spectat! Agitur enim de inundatione!«

Ingressus vidi decuriam ferê virorum sedentes circa mensam sub fenestris porrectam, cui imposita erat patina pentapomate¹ completa;

¹ *pentapōma, -atis n. *Punsch*, fervidum potulentum alcoholicum ex quinque (sanscritê *pañca*, gr. πέντε) substantiis commixtum. Quem neologismum confinxit Baronis Mynchusani versionem Latinam scribens: Baronis Mynchusani mirabilia itinera et pericula marina terrestriaque ab Erico Kästner denuo narrata, a Valthero Trier undecim picturis multisque lineamentis illustrata, a Nicolao Gross in linguam Latinam conversa. Bruxellis Belgarum in Sedibus Foundationis, quae appellatur Melissa, anno 2001, p.58sq.: *pentapōma.

eidem administrandae praepositus esse visus est vir eximiê procerus. Salutavi et rogavi, ut iisdem assiderem, quod promptê permissum est. Ego ad illum virum versus: »Vos« inquam »hîc vigilatis! Foris est mala tempestas; aggeres certê periclitantur!«

Ille respondit: »Certê; sed hîc in latere orientali habitantes putamus nos nunc esse extra periculum; ibi tantum in altero latere res non est segura, quia ibi aggeres plerumque sunt ratione vetere constructi; agger noster praecipuus transpositus iam est saeculo praeterito. – Nos modo ibi foris friguimus, et de te« - addidit - »certê eodem modo factum est; sed necesse est nos adhuc per nonnullas horas hîc loco patienter expectandum esse; habemus homines fide dignos foris positos, qui nobis sint relaturi«. Antequam apud cauponem mihi mandare potui aliquid bibendum, iam appositus mihi est hyalus vaporans.

Mox accepi virum affabilem mihi propinquum esse comitem aggeralem²; cum iam colloqueremur, coeperam illi narrare de miro conventu meo in aggere facto. Ille factus est attentissimus et ego subito animadverti homines circumcirca collocutos obmutuisse. Uno ex illis: »En Equitem Leucippum³!« vociferato ceteri terrore commoti sunt.

Comes aggeralis surrexerat. »Noli terreri«, inquit super mensam loquens; »hoc non solum spectat ad nos; anno 17 spectavit etiam ad illos ibi in altero parte habitantes; utinam parati sint ad omnia ferenda!«

Equidem perhorruï a posteriori. »Ignoscite!« inquam, »quisnam est iste Eques Leucippus?«

Seorsim post fornacem dorso paulo declinato sedebat parvus vir macer nigrâ vesticulâ detritâ indutus; alter umerus eius visus est paulo gibbus. Qui quamvis nullo verbo edito particeps fuisset colloquii aliorum, ex oculis eius, qui adversus capitis capillos parcos atque

² comes *aggerâlis, i.q. *der Deichgraf*.

³ Eques Leucippus i.q. *der Schimmelreiter*. cfr gr. λεύκιππος is, qui habet equum album eodemque vehitur. cfr Liddell-Scott, Greek-English Lexicon, p.1041, s.v.: «Λεύκ-ιππος, ov, riding or driving white horses, Ibyc.16, Stesich.86, Pi. P.4.117, S. L.706; ...» – Quod verbum est compositum possessivum, quale Indi veteres appellabant *bahuvrihi*. Ceterum non est periculum, ut nomen personae fabulae Stormianae praecipuae confundatur cum nomine illius philosophi inventoris atomismi, cuius discipulus fuit Democritus.

canos adhuc marginati erant ciliis opacis, dilucidê apparuit eum nequaquam assidêre dormientem.

Quem virum comes aggeralis nunc manu indicavit. Īdem voce sublatâ »Noster magister scholaris«, inquit, »nobis hanc rem optimê narrare scit; sed suo more neque tam rectê, quam domi narraret *Annula Vollmers* oeconomia mea vetusta«.

Magister autem voce aliquatenus morbidâ ex loco post fornacem editâ: »Iocaris«, inquit, »Comes aggeralis! Quid me comparas cum istâ excetrâ⁴ stupidâ«

Comes respondit: »Rectê dicas, magister! Sed tales fabulae dicuntur optimê servari apud excetras!«

Parvus dominus: »Scilicet!« inquit; »de hac re non omnino inter nos consentimus« subtili facie subridente praestantiam declarans.

Comes aggeralis mihi insusurrans »Bene vides«, inquit, »eum adhuc aliquantulo superbire; ĩdem enim iuvenis theologiae studuit pernoscendae et propter nuptias frustra petitas hĭc in patriâ suâ haesit magister scholaris«.

Idem vir interim ex angulo fornacis suo egressus ad longam mensam iuxta me consederat. Nonnulli congregatorum iuniores vocaverunt: »Narra, magister, narra quidem«.

Senex ad me versus: »Scilicet«, inquit, »libenter vobis concedam; at cum huic rei intersit multum superstitionis, difficile est rem sine eâ narrare«.

Respondi: »Rogo te ne eandem omittas. Credas, quaeso, me ipsum scire, quomodo paleam discernam a tritico!«

(Altera pars sequetur)

⁴ **éxcetra**, -ae f. orig. *der Drachen* (i.e. *nomen mulieris malignae increpatorium*). cfr OLD p.634, s.v. excetra: "...a water-snake... b (transf.) a spiteful or malignant woman. ...b ...tibi cerebrum dispercutiam, excetra tu Pl.Cas.644. illius excetrae delenimentis et uenenis imbutum LIV.39.11.2; APUL.met.10.28."

FABULA NOVELLA EXCELLENTISSIMA

A THEODORO STORM SCRIPTA

C.T. EST

Der Schimmelreiter

IN LATINUM CONVERTIT

NICOLAUS GROSS

LEO LATINUS

ECHUS VOCES

D.22.06.2018 h.18:22 scripsit Victorius Ciarrocchi:

Victorius Nicolao s. p. d.

Hodie mane, optime Nicolae, 'Recitator' est mihi adlatus. Hac laeta occasione nacta, aliquid de consilio quodam dicam.

Usam linguae Latinae tuum tanti facio putoque- nisi toto caelo fallor- fere communem esse tibi mihi huius linguae opinionem seu 'visionem', ut, etiamsi fabulas romanicas raro legere soleam, tamen tibi proponere ausim hoc: cum linguam Latinam calleas (doctrina peritiaque tua omnibus Latinitatis cultoribus nota est), cur hanc in linguam saltem aliqua capita illius fabulae, quae Italice 'Il Gattopardo' inscribitur et primum anno 1958 edita est, non convertis? Est enim fabula historice et psychologicè gravissima atque tanti momenti, ut etiam cinematographicè narrata sit: [https://de.wikipedia.org/wiki/Der_Leopard_\(Film\)](https://de.wikipedia.org/wiki/Der_Leopard_(Film))> Si tibi esset (quod minime crediderim) difficultas quaedam in lingua Italica recte interpretanda, scito, quaeso, Theodiscam eiusdem fabulae versionem exstare hanc: <'Der Leopard', R. Piper & Co Verlag, München, 1959; aus dem Italienischen von Charlotte Birnbaum>. Saltem aliqua capita, mihi credas, quae Latine reddantur, perdigna sunt. Te nemo melius, quod sciam, hoc facere poterit. Demum verbositati Italicae parcas velim, quaeso. Latinissime valeas.

Nicolaus Victorio sal.pl.

Care Victori,

gaudenter legi te accepisse Recitatorem et spero tibi gratam fore eius lectionem.

Magno autem (timeo, ne nimis magno) honore me afficis eo, quod Latinam versionem "Leopardi" mihi mandas conficiendam. Nam perdifficile est fabulam tam grandem et illustrem et mirabilem vestimento induere Latino. Sed occasione data libenter conabor nonnulla saltim capitula huius operis laureati convertere in sermonem Latinum. Haec hactenus, mox certe plura.

Medullitus te salutatur

Nicolaus Leo Latinus.

EXPANDED ORIGINAL MOTION PICTURE SOUNDTRACK



A FILM BY
LUCHINO VISCONTI

IL GATTOPARDO

MUSIC BY NINO ROTA

ECCE LIBRI LEONIS LATINI

Permittas, quaeso, ut nuntium adiungam minus gratum: pretia discorum, qui a Leone Latino praebentur vendendi, ex decennio (sic!) non exaucta - proh dolor – nunc valdê augenda sunt (denis euronibus). Interim enim cum pretia materiarum quoque multo exaucta sint, tum praecipuê disci libellique discis subiungendi non conficiuntur neque involvuntur nisi magno cum labore.

Restat, ut afferam titulos pretiaque librorum typis impressorum, qui hôc tempore apud Leonem Latinum prostant venales:

- | | |
|---|---------|
| 1) CRABATUS (Otfried Preußler, Krabat)..... | 49,00 € |
| 2) FRAGRANTIA (Patrick Süskind, Das Parfum)..... | 42,00 € |
| 3) RECITATOR (Bernhard Schlink, Der Vorleser)..... | 45,00 € |
| 4) HOTZENPLOTZIUS (Otfried Preußler, Der Räuber Hotzenplotz)..... | 25,00 € |
| 5) ARANEA NIGRA (Jeremias Gotthelf, Die schwarze Spinne)..... | 22,00 € |

PARVUS NICOLAUS (René Goscinny, Le Petit Nicolas) non êditur in domunculâ Leonis Latini, sed in Aedibus Turicensibus, quae appellantur «Diogenes».

GLOSSARIUM FRAGRANTIAE et PERICULA BARONIS MYNCHUSANI – proh dolor! – sunt divendita. Utinam nobis contingat, ut aliquando edantur iteratis curis.

Habeas nos excusatos, quod situm interretialem (i.e. anglicê »website« nondum restauravimus novaque pretia ibidem nondum indicavimus.

Ceterum, cara Lectrix, care Lector, bene scias oportet Leonem Latinum non esse megalopolium, quo – ut ita dicam - rapidissimê eiectantur multae myriades librorum vilissimae, sed domunculam potius virtuaalem quam realem, in qua creantur κειμήλια, id est res parvae et rarae et carae. Res parvae enim sunt disci compacti aut libelli typis editi palmares; rarae sunt editiones, quae centuriam tantum complectantur exemplorum; carae sunt hae res omnes, quia cordi sunt Leoni Latino recordanti horas illas innumeras, quibus operam dedit illis creandis.

Cara Lectrix, care Lector, utinam omne opusculum a Leone Latino confectum sit Tibi KTHMA EΙΣ AEI.

INDEX DISCORUM LEONIS LATINI

NR	Num. mand a- telae	ISBN	TITULUS	AUCTOR	TRANS- LATOR	ANNUS	FORMA	AMPLI- TUDO	PRE- TIUM
1	00104	978-3-938905-00-5	FABELLA TEXTORIS VERSUTI PALAEOINDICA	Anonymu s (Old Indian)	Nikolaus Gross	2004	CD- ROM pdf	7 pp.	€ 17,90
2	00104 A	978-3-938905-15-9	FABELLA TEXTORIS VERSUTI PALAEOINDICA- Libri audibiles	Anonymu s (Old Indian)	Nikolaus Gross	2005	Audio	21 min.	€ 22,90
3	00204	978-3-938905-01-2	TRES FABULAE EDGARII ALLANI POE: CATTUS NIGER - RANUNCULUS - PUTEUS ET PENDULUM	Edgar Allan Poe	Nikolaus Gross	2004	CD- ROM pdf	33 pp.	€ 27,50
4	00304	978-3-938905-02-9	ANECDOTA REI PROXIMO BELLO BORUSSICO FACTAE	Heinrich von Kleist	Nikolaus Gross	2004	CD- ROM pdf	6 pp.	€ 17,90
5	00304 A	978-3-938905-16-6	ANECDOTA REI PROXIMO BELLO BORUSSICO FACTAE -Libri audibiles	Heinrich von Kleist	Nikolaus Gross	2004	Audio	6 min.	€ 20,90
6	00404	978-3-938905-03-6	MEMENTO MORI	Alexander Saxon	Nikolaus Gross	2004	CD- ROM pdf	7 pp.	€ 17,90
7	0040 4A	978-3-938905-17-3	MEMENTO MORI – Libri audibiles	Alexander Saxon	Nikolaus Gross	2005	Audio	20 min.	€ 21,90
8	00504	978-3-938905-04-3	DE CRAMBAMBULO	Marie von Ebner- Eschenba ch	Nikolaus Gross	2004	CD- ROM pdf	14 pp.	€ 19,50
9	00604	978-3-938905-05-0	DE DINOSAURIS	Nikolaus Gross	-----	2004	CD- ROM pdf	16 pp.	€ 19,00
10	00704	978-3-938905-06-7	SUDATORIUM VENERIS	Diogenes Anaedoeu s	-----	2004	CD- ROM pdf	11 pp.	€ 19,50
11	00804	978-3-938905-07-4	PERICULUM FRANCISCI	Diogenes Anaedoeu s	-----	2004	CD- ROM pdf	7 pp.	€ 17,90
12	00904	978-3-938905-08-1	NUPTIAE ABDERITANAE	Bertolt Brecht	Nikolaus Gross	2004	CD- ROM pdf	21 pp.	€ 22,00
13	01004	978-3-938905-09-8	TESTAMENTUM REYNERI BERLBYN	Henricus van den Lande de	-----	2004	CD- ROM pdf	7 pp.	€ 17,50

				Raelt					
14	01104	978-3-938905-10-4	DE SANCTO NICOLAO DEQUE VIRO NATALICIO	Nikolaus Gross	-----	2004	CD-ROM	21 pp.	€ 22,00
15	01204	978-3-938905-11-1	FABELLAE GRIMMIANAE 1	Jacob Grimm/ Wilhelm Grimm	Nikolaus Gross	2004	CD-ROM pdf	28 pp.	€ 24,90
16	00105	978-3-938905-12-8	ROMULUS MAGNUS	Friedrich Dürrenmatt	Nikolaus Gross	2005	CD-ROM pdf	49 pp.	€ 31,90
17	00205	978-3-938905-13-5	DE THILO CUSTODE FERRIVIAE	Gerhart Hauptmann	Nikolaus Gross	2005	CD-ROM pdf	28 pp.	€ 24,90
18	00305	978-3-938905-14-2	HISTORIA AGATHONIS (LIB.1)	Christoph Martin Wieland	Nikolaus Gross	2005	CD-ROM pdf	15 pp.	€ 19,50
19	00405	978-3-938905-19-7	WERTHER IUVENIS QUAE PASSUS SIT	Johann Wolfgang von Goethe	Nikolaus Gross	2005	CD-ROM pdf	82 pp.	€ 38,90
20	0050 5A	978-3-938905-22-7	CICERONIS ORATIONES IN CATILINAM HABITAE 1 – Libri audibiles	M.T. Cicero	-----	2005	Audio	40 min.	€ 21,90
21	0060 5A	978-3-938905-18-0	SOMNIUM SCIPIONIS A CICERONE SCRIPTUM – Libri audibiles	M.T. Cicero	-----	2005	Audio	30 min.	€ 20,90
22	0070 5A	978-3-938905-23-4	CAESARIS BELLUM GALLICUM 1 – Libri audibiles	C.I. Caesar	-----	2005	Audio	55 min.	€ 22,90
23	00106	978-3-938905-21-0	AUTOBIOGRAPHIAE LATINAE	Nikolaus Gross	-----	2006	CD-ROM pdf	87 pp.	€ 48,00
24	00206	978-3-938905-20-3	DISQUISITIO CHEMICA ACIDULARUM BERGENSIUM ET GOEPPINGENSIUM	Karl Friedrich Kielmeyer	Nikolaus Gross	2006	CD-ROM pdf	66 pp.	€ 38,00
25	00306 A	978-3-938905-24-1	CAESARIS BELLUM GALLICUM 2 – Libri audibiles	C.I. Caesar	-----	2006	Audio	61 min.	€ 22,90
26	0040 6A	978-3-938905-25-8	CICERONIS ORATIONES IN CATILINAM HABITAE 2 – Libri audibiles	M.T. Cicero	-----	2006	Audio	41 min.	€ 21,90
27	00506 A	978-3-938905-26-5	EPISTULAE A SENECA AD LUCILIUM SCRIPTAE 1 – Libri audibiles	L.A. Seneca	-----	2006	Audio (2 CDs)	88 min.	€ 27,90
28	00107 A	978-3-938905-27-2	ASINUS AUREUS AB APULEIO SCRIPTUS	Apuleius	----- --	2007	Audio	55 min.	€ 23,90
29	00207	978-3-	OBSIDIO SAGUNTI A	Livius	-----	2007	Audio	53 min.	€ 23,90

	A	938905-28-9	T.LIVIO DESCRIPTA						
30	00307	978-3-938905-29-6	FABELLAE GRIMMIANAE II	Jacob Grimm/ Wihelm Grimm	Nikolaus Gross	2007	CD-ROM pdf	58 pp.	€ 32,90



**CARA LECTRIX, CARE LECTOR, BENE VALE,
USQUE AD SEPTIMANAM PROXIMAM !**

**HANC EPISTULAM LEONINAM
CENTESIMAM SEXAGESIMAM SEXTAM**

SENDEN IN OPPIDULO BAVARIAE SUEBICAE PERFECIT



Die Dominicâ, 24. m.Iunii. a.2018

Nicolaus Groß

Sodalis Academiae Latinitati Fovendae



LEO LATINUS

<http://www.leolatinus.de/>